

LVNÆ DIE 15 M. FEBRVARII A. 2016

A.d. XV Kal. Martias a. MMXVI

I 9 0

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

REDACTRIX

Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



# INSTITVTIO PVBLICA AN EDVCATIO NATIONALIS?

– scripsit Gaius Licoppe –

Verba non sunt insontia. Cur «Institutio publica» in «Educationem nationalem» in Francogallia aliquando mutata est? De hac quæstione hic agetur. Francogallia exemplum eligitur, quia tempore eius Revolutionis neque Germania, neque Italia una civitas facta erat. Hispaniæ autem historia usque ad recentia tempora nimis perturbata est quam ut ea hic uti sit consentaneum; Revolutio Francogallica ibi populo fuit odio atque Inquisitio sæviit usque ad tempus Napoleonis; philosophia Sæculi Luminum paucos tantum eruditos tetigit.

Ætate Veteris Regiminis institutio in Francogallia solum fiebat in institutis religiosis, ubi educatio necessario erat religiosa. Auctoribus actoribusque Revolutionis, philosophia Sæculi Luminum imbutis, religio christiana odio erat, quare institutionem laicam creare voluerunt. De nomine ministerii, cui institutio esset regenda, vehementer disputatum est: utrum futurum esset ministerium «institutionis publicæ», an «educationis nationalis»? Significatio enim eadem non est, ut scripsit Rabaut-Saint-Etienne:<sup>1</sup> «'Institutio publica' distinguenda est ab 'educatione nationali'; institutio enim publica res illustrat, educatio nationalis cor formare debet.» Ac Lepeletier in sua *Ratione educationis nationalis*<sup>2</sup> scripsit hoc: «Omnis puer pertinet ad Statum, non ad parentes». Hoc est propositum eorum, qui volunt exemplarem Statum totam regere mentem futurorum civium, ut fiant devoti republicani.

E contrario Condorcet,<sup>3</sup> philosophus, mathematicus, œconomista necnon vir politicus, scripsit institutionem publicam tantum spectare ad docendum et educandum; putat enim bonam institutionem sufficere ad pondus religionis tollendum atque ad novum regimen democraticum fulciendum. Vocabulum «educationis» respuebat, quod pueris potiri eisque dictare quid credere deberent, captiosum sibi videbatur; iam timebat ne educatio duceret ad aliquam ideologiam in mentes instillandam; hoc re vera esse propositum totalitare.

Nihilominus *Rationem educationis nationalis* Ludovici Michaelis Lepeletier palam legit Maximilianus de Robespierre in Conventione; tum proclamavit puerum totum pertinere ad regimen. Eodem tamen paulo post detruncato cum nonnullis etiam ferocioribus delegatis, reliqui maluerunt sententiam sequi Nicolai de Condorcet ac creaverunt Ministerium Institutionis Publicæ.

Res autem non evenerunt ut statuerat regimen Revolutionis; Napoleo enim, cum regimine potitus esset, Ecclesiæ catholicæ iterum favit atque institutis religiosis reddidit facultatem docendi. Non ante ortum Tertiæ Rei Publicæ (1870) fieri potuit ut institutio red-

deretur laica. Anno 1871, cum creatur Ministerium Institutionis Publicæ et Bellarum Artium, vetus discordia manet inter eos, qui tantum volunt pueros bene erudire et eos, qui præsertim volunt eos educare ut fiant boni Rei Publicæ cives; hi enim timent ne instructio liberalis, intelligentiam speculativam exercens, foveat individualismum non sine magno detrimento communis vinculi nationalis. Etiam hodie sunt inter socialistas dogmatici homines, qui cogitent scholam loco familiæ pueris educationem communem dare cum festis patrioticis, exercitiis physicis et prælectionibus moralibus de Re Publica. Mirum re vera, cum hoc modo educata sit iuventus in Germania tempore regiminis nationalis-socialistici cum effectu, cuius pessimam tenemus memoriam.

Anno 1932 Anatolius de Monzie primus est, cui novus titulus Ministerii Educationis Nationalis tribuatur; ipse tamen non est eiusdem mentis ac fuerunt Robespierre eiusque asseclæ; contra, vir est temperatus et prudens, ut patet ex eius claris *Instructionibus de philosophia docenda* (1925).<sup>4</sup> Magister philosophiæ, ait, amplificare debet iuvenum facultatem per se cogitandi, quin etiam facultatem per se iudicandi sine dogmatismo; oportet ergo efficere ut iuvenes præditi sint methodo cogitandi et nonnullis principiis intellectualibus et moralibus, quibus novæ vitæ quam optime se aptare possint necnon scite et libere iudicare, quod necessarium est in humana societate democratica.

In novo titulo Ministerii Educationis Nationalis præcipue retinendum est adiectivum «nationalis»: tunc enim est tempus, quo Europæ civitates summo fervore nationalistico afficiuntur.

Post alterum bellum mundanum quarta Res Publica Francogallica anno 1946 conditur, quæ titulum Ministerii Educationis nationalis servat.

Anno 1958, post magnos populi tumultus, instigante generale de Gaulle, conditur quinta Res Publica, quæ adhuc viget. Titulus Ministerii Educationis nationalis servatur, sed adiectivum «nationalis» per septem annos tollitur, dum Valerius Giscard d'Estaing Rei Publicæ Præsidis munere fungitur (1974-1981); qui enim vir, una cum amico Helmodio Schmidt, Germano Cancellario, operam dat ad Europæ civitates couniendas nec favet cultui nationalismi.

Viginti fere annis post, Valerius præest Commissioni cui Constitutio Europæa est elaboranda; quæ, anno 2003 patefacta, comprobatur a 25 membris Unionis Europææ. Tamen ad singulos populos postea referendum est; infeliciter populus Francogallicus Constitutionem respuit: nationalismus iterum vicit.

Non solum nationalismus in Francogallia (quid autem dicam de Magna Britannia!) coli pergit, sed etiam aliqua «identitas nationalis» a multis quæritur. Discipuli in scholis vix quicquam discunt de Unione Europæa, cuius cives facti sunt inscii. Sunt etiam politici, qui ut se purgent, instillare audent rem œconomicam male se habere propter Unionis Europæa regimen; non ergo mirum si plures pluresque cives de Unionis utilitate dubitare incipiunt.

Oportet potius monere omnibusque modis divulgare nimis parvas Europæ civitates, si solæ manent, nullo pondus habere in orbe terrarum, in quem hodie dominantur paucissimæ ingentesque nationes.

Ad usum Unionis Europæa anno 2007 editus est, compluribus in linguis (etiam Latina, nostra opera), codex scholaris c.t. *Agenda Europa (Diario Europa et ita porro)*; paginas diarii præcedunt amplius 90 paginæ, addito præmio Meglenæ Kouneva Bulgaræ eiusdemque tunc temporis Europæa Commissariæ Consumptoribus Tuendis. In hoc libello discipulis exponitur brevis Unionis historia, regiminis compositio et agendi modus, iura civium necnon multæ regulæ, quas iam imposuit Unio ad consumptorum sanitatemque augendam necnon ad circumiecta tuenda. Hic optimus codex gratuito distribueba-

tur magistris, qui eum petebant; perutilis erat ad Unionem Europæam futuris civibus notioem faciendam. Infeliciter diffusio operis spei fuit impar.

Ut Unio Europæa civibus fiat magis familiaris, quin creatur Europæus manipulus pedifollii, cum hæc athletica populi enthusiasmum excitare soleat? Manifesto, quia politici malunt enthusiasmum excitari apud suos nationales concives. ☞

1. Iohannes Paulus Rabaut Saint-Etienne, *Projet d'éducation nationale*, 1792:

«Il faut distinguer l'instruction publique de l'éducation nationale.

L'instruction publique éclaire, l'éducation nationale doit former le cœur».

2. In eius operibus, *Œuvres de Louis-Michel Lepeletier de Saint-Fargeau*, (editis anno 1826) invenitur ratio quædam docendi, *Plan d'éducation nationale*, in qua legitur hoc: «Tout enfant appartient à l'État et non à ses parents.»

3. Nicolas de Caritat marquis de Condorcet, *Cinq mémoires sur l'instruction publique*, (1791-1792 - Paris, Flammarion, 1994. p. 82).

4. *Instructions sur l'enseignement de la philosophie*.

## DE VESTIGIO DEI

– scripsit Vinfridus Czapiewski –

Vir doctissimus quidam Francogallus una cum nonnullis investigatoribus Arabicis iter studiorum causa facit in loca deserta. Sole occidente Arabes tapetes suos solo sternunt, ut orent.

«Quid istic agitis?» vir doctissimus quærit.

«Oro.» «Quem?» «Deum.»

«Vidistine aliquando eum? Vel tetigisti? Vel sensisti?»

At ille: «Nullo modo.»

Vir doctissimus obstupefactus et dubitans:

«Quomodo tunc credere potes in eum?»

Postridie mane Francogallus e tentorio exiens uni ex Arabibus dicit: «Hac nocte camelus aderat hic.»

«Unde hoc vis scire? Vidistine eum? Vel tetigisti? Vel sensisti?»

«Nullo modo, sed videre possumus vestigia in circuitu tentorii relicta!»

Arabs autem ad horizontem monstrat, ubi sol oriens pulcherrime cælum ornat: «Ecce, illic vestigium Dei.» ☞

# DE VITA PAVPERVM IN KENIA

## COLLOQVIVM CVM MATRE IVVENI IN PLETHOGITONIA VIVENTI

– scripsit Samius Jansson –

In Roma antiqua erat suburbium cui nomen est Subura et hæc erat regio in qua plebei Romani satis conferti habitabant insulas admodum viles. Insulæ ædificatæ erant a magistratibus mandato urbis – et negliger quidem. Etiam Campus Martius et Transtiberim erant regiones in quibus plebs et migrantes versabantur.<sup>1</sup>

Quo ore Latine appellabimus viculos tuguriorum ubi homines in pauperie vivunt? Anglica verba de eis sunt *slum*, *squatter settlement*, *informal settlement*, *ghetto* vel *shanty town*. Franco-Gallice dicunt *bidonville*, Italice *Baraccopoli*, Neogræce «phtochogitonia» (φτωχογειτωνια) aut «parancupola» (παράγκυπολη). Hispanice dicunt *chabola*, Portugallice *favela* et Dacoromanice *mabala*. Verba Latina «mapalia» et «tuguriopolis» inveni in lexico Neolatinitatis.<sup>2</sup>

Mapalia est verbum Punicum quod significat tentoria nomadum. At notandum est nomades non esse pauperes nec habitare regiones centrales urbium ut sibi pecuniam ibi vel negotia aut laborem petant. Verbum «tuguriopolis» placet atquin etiam rustici sæpe habitant simplicia tuguria sed qui vix paupertate laborant. Sit igitur nobis clare perceptum hoc: *slum* esse suburbium egenum prope epicentrum urbis ubi vivunt pauperum multa milia in viculo informali habitandi conferta. Ibi licentiam versandi sibi usurpaverunt homines qui, ut sibi laborem, pecuniam aut negotia mercatoria gerenda petant, e rure ad macella migraverunt urbana ubi opulentes deambulant pecuniam suam profuse et largiter solventes. Opulentes sibi holera, fructus, carnem, pisces, vestimenta, fruges opsonant et consumunt, utensilia etiam comparant. Opulentes aliquando operarios conducunt ad servitium sibi. Ita pauperes sperant se officio conductum in urbibus iri ac lucrum sibi feliciter inventuros per laborem vel negotia mercatoria gerentes, ut se Deo favente paululum conlocupletent, dummodo migrent prope urbis epicentrum. Etiam si aliqui pauperes plane servi sint in servitio opulentium, conducticii sunt liberi et salarium recipiunt. *Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera. Nemini credo qui large blandust dives pauperi: ubi manum inicit benigne, ibi onerat aliqua zamiam.*<sup>3</sup> Salarium migratoribus rusticis sæpe tantillum est quo hi difficillime mercedem valent solvere habitationis nisi in regione egena valde. Tales homines sese prope rudereta et similibus regionibus fœdis vel periculosis collocant. In his regionibus a regimine rei publicæ satis neglectis nemo mercedem habitationis exigit. Ita plane nihil impedit quin pauperes ibi gratis vivant. Sic aliquando pauperes simpliciter usuceperunt regionem sibi habitandi ac proinde ut sumptus sibi habitandi felicius parcant, condiciones tolerant adversas. Alteri pauperes

habitant insulas sibi conductas et solvunt mercedem habitandi.

Neogræcismo possimus dumtaxat uti communi verbo «plethogitonia» de mapaliis et insulis sed nihil nobis obstat quominus nonnisi distinguamus inter mapalia et insulas. Aliqui pauperes habitant mapalia aut tuguria in regionibus a regimine rei publicæ neglectis, alteri autem habitant insulas et solvunt mercedem habitationis suæ locatori locupleti.

Fredericus Engels anno 1845 divulgavit opus optimum de condicione operariorum Anglorum postquam deambulatum ierat in plethogitoniis Mamucianis. Engels ibi videbat Mamucianorum in viculis operariorum miseriam pauperiem et concludit condicionem adversam eorundem esse effectam processibus capitalisticis qui semper et ubique videantur regere urbium incrementum œconomicum. Opus Frederici Engels cui titulus est *Die Lage der arbeitenden Klasse in England* facile reperitur in interreti. Anglice conversa versio etiam deonerari potest et quidem in forma audibili MP3!

Quod aliqui opulentes possident terram in regionibus rusticis sicut etiam in urbanis, illi homines qui parvas res aut nihil plane possident, sunt coacti sibi methodum aliquam vivendi petere. Si non ruri conduci possunt pauperes, nihil restat eis nisi laborem sibi petere in regionibus urbanis. Atqui circumstantia urbana manifesto favent opulentibus qui assidue per politicas methodos leges ibi assignaverant ad rem propriam capitalem protegendam. Opulentes cives urbani libere dumtaxat ac detrimento incommodoque immigrantium pauperum decreverant quo pretio laboris conducerentur operarii et quanta habitationis mercede iisdem habitandi licentia permetteretur. In urbe Keniensi capitali, Nairobi, haud minus quam miliones duo, ut ratiocinatum est, civium vivunt inter aspera paupertatis et ex œconomia formali exclusi.<sup>4</sup> *Di boni quid turbaest! Ædes nostræ vix capient scio. Quid comedent? Quid ebibent?*<sup>5</sup>

Ego anno 2014 habitabam integrum mensem Iulium in viculo quodam pauperum in Kenia ut me ipsum certiore facerem, quid de paupertate censeant ipsi homines pauperes. Cupivi igitur habitare plethogitoniam veram Keniensem quo facto corpore meo callerem pauperiem pati. Hoc fieri potuit admodum tuto et facile nam iam inter menses Augustum anni 2012 et Maium anni 2013 habitaveram in Kenia cum familia mea. Hoc iter fecimus propter adoptionem pueri Keniensis. Iam enim antea adoptaveramus puellam Æthiopicam et in Kenia filia nostra accepit sibi fratrem. Cum menses novem in Kenia viveremus ipse



Ngong forum

ardenter volui discere sermonem Suahelicum ut possem cum incolis Keniensibus loqui. Eo igitur tempore sat assidue studebam sermoni eidem cottidie ac proinde post annum dimidium iam admodum expedite loquebar. Multi Kenienses et præcipue opulentes valde expedite loquuntur Anglice quæ etiam est lingua communis ibi inter gentes varias atquin etiam maioris momenti est lingua Suahelica, quæ in viculis et foris auditur ubique. Propter scientiam meam Suahelice loquendi inveni amicos Kenienses inter quos multi vivunt in regionibus egenis. Postea visitavi insulas et mapalia aliquorum amicorum et tandem invitatus sum ut paulo longius etiam manerem apud eos. Itaque etiamsi peregrino Europæo mapalia intrare pauperum sit satis periculosum, mihi non videbatur esse nimis, nam amici mei Kenienses mihi consilia et auxilium præbuerunt ut tutius ac incolumis possem inter plethogitonias ibi deambulare.

In Kenia sic mapalia ut insulæ sunt sæpe vilia et humilia tuguria ex undulatoriis vel corrugatis laminis ferreis constructa. Mapalia rustica sunt vici nomadum qui commode habitant tuguria vel tentoria sua absque ulla molestia angustiarum. Sed mapalia urbana sunt viculi constipati pauperum civium qui desperati sibi petunt laborem quotidie temporarium inter vitam urbanam et qui exclusi sunt ex œconomia formali quæ nutrit incolas urbis patricos vel opulentes vel etiam cives ad ordinem medium socialem pertinentes qui laborem constantem sibi feliciter acceperunt. Insulæ sunt tuguria e corrugatis laminis ferreis erecta quæ pauperibus locantur a pecuniosis locatoribus sive ab avaris senibus, ut sine dubio diceret Plautus noster, sive ab iis, qui pertinent ad ordinem capitalistarum, ut diceret Fredericus Engels perclarus. Sæpe incommoda fere intolerabilia et adversa varia sustinent habitantes insularum et mapaliorum. Aqua non per fistulas fluit ad omnem habitationem, immo multi sibi emunt domumque apportant aquam potabilem in lagoenis. Lavatoria et aumatia sunt communia pluribus homini-

bus et sæpe immunda aut plane absentia. Ubi aumatia non sunt, tamen homines necessitate naturali sibi alvum sublevant quo facto scilicet aliqua ratione cupiunt dimittere alvi farcimen excrementum. Hoc aliqui in sacco plastico directe exprimunt ac deinde simpliciter per ostium habitationis suæ deiciunt foras. Sacculi excremento impleti vocantur «aumatia volantia»! Squalor autem etiamsi foedus videtur non magni dumtaxat est momenti in condicione paupertatis. Nempe pessime affliguntur pauperes urbani egestate alimenti, securitatis, aquæ et valetudinis. Quicumque pecunia caret in urbe, ille laborat egestate generali. Aquam non valet sibi emere nec cenam parare nec medicum consulere. Coactus est pauper habitare in regionibus ubi latrones insidiantur, squalor abundat, fames et sitis insectantur. Virgines, puellæ parvæ etiam et mulieres pauperes vitiantur<sup>6</sup> a latronibus quotidie et quidem a custodibus publicis, fures res auferunt aut latrones surripiunt et pugnis vel baculis malectructant vel acinacibus scindunt pugionibusque occidunt. Latrones haud raro autobirota viatores ex inopinato opprimunt, spoliant et malectructant. *Non licet sæpe boninem esse ita ut volt si res non simit.*<sup>7</sup>

Nihilominus latrones ab incolis deprehensi periculo capitis committuntur. Quadam nocte amicus meus Keniensis quidam mihi monstravit picturas quas condiderat in tesserula memoriæ portabilis telefoni sui inter quas ipse vidi imaginem latronis in terra iacentis qui captus erat ab incolis viculi ac deinde petroleo madefactus. Hos accendisse petroleum dixit et sivisse latronem comburi ac non multum afuisse quin ille miser sceleratus mortem obiret. Perdiderat tamen capillos, vestimenta et superficiem cutis in multis corporis partibus suis, ut ipse vidi in imagine mihi monstrata.

Ipse habitabam inter pauperes in viculo cui nomen est Ololua. Ololua iacet ab epicentro Ngong oppidi ad partes orientis nonnisi bis circiter mille passuum (3 km). Ibi versabar in cavædio insulæ dies ac noctes in cella dormiebam amicæ cuiusdam Keniensis cui mercedem habitationis solvi. Sic vivebam unum mensem ego ut pauperes Kenienses vitam integram. Sub mensem istunc cum incolis pauperibus colloquebar et colloquia microphono servavi in minidisco. Ab iis etiam petivi ut mihi photographemata portarent quem ad finem mutuo eis tradidi cameram unius usus et præcepi eis, ut prospectus vitæ suæ mihi monstrarent. Hac ratione speravi me posse videre post siparium culturale ac fur-tim dumtaxat certiore fieri de hoc, quid censeant habitantes regionum egenarum de re quam ipse voco paupertatem. Propter liberalitatem et largitatem amicorum et amicarum Keniensium incolumis, integer et

bene valens deinde migravi ad oppidum Ngong ubi septimanas duas habitabam. Nec esurie nec siti nec frigore laboravi et tuto valde manebam apud amicos meos Kenienses antequam aeroplano domum redii.

Collocutus sum cum hominibus pluribus et Latine vobis converti colloquium cum matre quadam iuveni cui nomen est Martha Wanjiku cognomine Shiko. Wanjiku est nomen quod ibi sæpe gentis Kikuiuæ datur feminis. Condicio eius est usitata inter pauperes. Nec ipsa nec maritus habet ullum officium constans. Habitat cellam parvam in insula cavædio prædita et habitationis huius solvunt mercedem, quam erus exigit ab eis omni mense. Laborem sibi petunt quottidie. Uxor lavat vestimenta et vir operarius laborat in ædibus construendis. Collocuti igitur sumus III die ante Kalendas Augustas MMXIV (28.7.2014) Oloolua, in Kenia.



Shiko (imago a Samio facta)

SAMIUS. Nomen tibi est Martha Wanjiku?

SHIKO. Ita est.

SA. Etiam ab amicis appellaris Shiko? Shiko est cognomen tuum? Et unum et viginti annos nata es?

SH. Recte hæc ut dicis.

SA. Et scholam superiorem perfecisti?

SH. Non feci.

SA. Qualis est officium tuum?

SH. Non habeo.

SA. Laborasne domi?

SH. *Oue*.

SA. Sed officium cottidie petis temporarium?

SH. *Oue*... lavandi vestimenta.

SA. Lucet. Aliqua photographemata mihi hodie portasti ut a te heri petivi. In photographemate hoc habitationes esse videntur huius regionis in viculo cui nomen est Ololua haud procul ab urbe Nairobi, nonne?

SH. Itavero. Hanc picturam feci quod habitationes istæc mihi pulchræ esse videntur... Ut vides cæspes circumit domibus... propter cæspitem gramineam pulchrum est cavædium hoc valde. Et homines versantur ibi libenter. Hoc facimus nosmet habitantes nam cæspes reddit cavædium hoc suave.

SA. Crescitne gramen sic ubique Ololua?

SH. Minime. Valde differunt inter se cavædia et viculi hic... Sæpe enim nihil huius generis vides circum habitationes. At hic ubi habito ipsa habemus in cavædio flores et cæspitem.

SA. Lucet. Et hac in pictura quid habemus? Scripsisti inter notas tuas terram esse immundam?

SH. Homines ibi laborant ut cavædium bene in ordinem mudent. Incolæ igitur una ibi versantur laborantque... et pueri ludunt.

SA. Parentes una versantur...?

SH. *Oue*, et pueri puellæque una ludunt... cotidie... itavero. Adulti ibi loquuntur de Deo et fide ac de familia filiisque suis.

SA. Ergo quid tibi videtur esse magni momenti hic... cur mihi hanc picturam cupis monstrare?

SH. Quod scilicet gaudeo valde homines una versari sicut hic vides. At parentes cotidie reliquunt filias filiosque suos domi ut petant panem cotidianum sibi et suis. Filii et filia ludentes manent domi a mane ad vesperum.

SA. Et censes esse bonum eos domi manere?

SH. *Oue*, nempe parentes tradunt opiniones progeniebus suis. Et ut vides pueri hi in cavædio ludunt habitationis suæ. Multi autem pueri ludunt in viis et quidem malos mores discentes, tempus perdentes, pugnantes et aperte verba fœda despuentes prope tabernas in foro.

SA. Lucet. Et hac in pictura homines aquam sibi accipiunt e fistula domumque portant?

SH. Itavero cupii monstrare aquam nobis esse momenti magni. Homo aqua carens non potest vivere. Aqua auxilio est vitæ.

SA. Estne aqua pretiosa?

SH. Ohe, pretiosissima.

SA. Quanti est solvendum pro vase uno?<sup>8</sup>

SH. Pretium unius vasi est decem shillingia.<sup>9</sup> Sed non omnes valent solvere, aliqui enim omnino pecunia carent.

SA. Qua ratione aquam sibi accipiunt tales homines? Aut manent siti laborantes?

SH. Homo non potest vivere sine aqua. Tales homines deambulant, mendicant, petunt sibi pecuniam et opera temporaria ac si accipiunt pecuniam hac ratione revertunt ut sibi aquam emant. Homo non vivit sine aqua.



*Shiko cum sua familia in cavædio*

SA. Deinde etiam mihi portasti picturam in qua video iuvenes qui pila ludunt.

SH. Illi sunt discipuli scholæ superioris. Cupii tibi hanc monstrare quod censeo esse magni momenti exercere vires et facultates. Velut cantare vel ludere. Omnis homo habet facultates quibus uti potest. Bene est habere vires alicuiusmodi.

SA. Ita est. Etiam velim te rogare qualis sit res maximi momenti inter vitam tuam. Velisne aliquid mutare? Scripsisti inter notas tuas in cavædio ubi vivis habitantes vivere admodum felices et pacem colentes et hoc tibi placere?

SH. Hoc scripsi quod si pax deest, nemo potest bene vivere, sed pugnae et difficultates semper imminet. Sine pace non potes frui vita. Et si pax tibi est, tunc etiam gaudes, fruieris vita bona. Ita est.

SA. Lucet bene. Vidistine tumultus aut fures hic in regione Ololuae?

SH. Ohe, fures multi qui nobis pacem arripiunt. Ita est.

SA. Ei, fures adsunt hic?

SH. *Ouee!*

SA. Familia tua molestiam quandam passa est propter fures?

SH. Propter fures, ohe!

SA. Molestiam cuius generis? Furesne vobis abstulerunt res?

SH. Fur... times deambulare in via propter latrones... si obviam tibi venit latro hic te malectrat et optundit et deinde te rebus spoliat... Hic non possumus in pace vivere.

SA. Itaque latrones tibi rapuerunt res aut argentum?

SH. *Obee.*

SA. Quando?

SH. Noctibus duabus ante... *obee.*

SA. Recentissime etiam! Verumne dicis?

SH. *Ouee...* Maritus meus despoliatus est...

SA. Maritus tuus? Perdidit argentum suum?

SH. *Obee...* Hoc accidit nocte circiter hora octava in oppido Ngong.

SA. Ngong? Regionum ubi? Vel hoc in via accidit?

SH. Regionis istius nomen est Mathare.

SA. Mathare? A-ha, ita vero, cognovi illam regionem.<sup>10</sup>

Deinde scripsisti inter notas tuas te velle mutare vitam tuam cotidianam. Qua igitur ratione?

SH. Pax est... scis bene forsitan si in pace possim vivere tunc etiam possim mutare multas res. Si pax nobis deest, nihil possumus agere, nam timemus tantum.

Ohee. Vitam nostram non possumus reddere meliorem propter tumultus et inquietem.

MEGADORUS. *Pol si est animus æquos tibi, satis habes qui bene vitam colas.*<sup>11</sup>

SA: Etiam scripsisti familiam tibi esse maximi momenti. Habes maritum et infantem. Maritus tuus quali officio operam dat?

SH. Est operarius in ædibus.

SA. In ædibus? Estne labore occupatus omni hebdomada?

SH. A-ha. Fieri potest ut hodie laboret, cras nihil, vel cras laboret, sed etiam hebdomadam integram fieri potest ut careat labore.

SA. Lucet perclare. Optime, gratias tibi ago maximas, Shiko. Forsitan aliquid pluris tibi est in mente et mihi de hoc narrare cupias? Aliquid de quo non rogavi?

Rogavi de quibusdam rebus et optime mihi respondisti sed visne etiam addere aliquid?

SH. Nihil est. Dic tu! (subridet)

MEGADORUS. *Ei occidi! – quia mi misero cerebrum excutiant tua dicta, soror. Lapides loqueris!*<sup>12</sup> ☹️

1. Tacoma, 2011.

2. Pekkanen & Pitkäranta, 2006.

3. Plauti *Aulularia*, vide lineas 195-7.

4. Amnesty, 2009; Goodfellow & Taylor, 2009.

5. Terentii *Heautontimorumenos*, vide lineas 254-255.

6. Sarnquist, 2014; Amnesty, 2010.

7. Terentii *Heautontimorumenos*, vide lineam 666.

8. Vas unum capit circiter viginti litra.

9. Decem shillingia valent circiter eurocentenas decem.

10. In urbe Nairobi est regio egena cui nomen est Mathare, sed illud nomen adhibetur alibi etiam de regionibus egenis sicut ea de regione prope oppidum Ngong.

11. Plauti *Aulularia*, vide lineam 187.

12. Plauti *Aulularia*, vide lineas 151-152.



BIBLIOGRAPHIA

Amnesty International (2009). *Kenya: The Unseen Majority – Nairobi’s Two Million Slum Dwellers*.  
<http://www.amnesty.org/en/documents/AFR32/005/2009/en/>

Amnesty International (2010). *Insecurity and Indignity – Women’s Experiences in the Slums of Nairobi, Kenya*.  
<https://www.amnesty.org/fr/documents/AFR32/002/2010/en/>

Engels, Friedrich (1845). *Die Lage der arbeitenden Klasse in England*. Karl Marx – Friedrich Engels – Werke, Band 2, pp. 225-506.

[http://www.mlwerke.de/me/meo2/meo2\\_225.htm](http://www.mlwerke.de/me/meo2/meo2_225.htm)  
 Engels, Friedrich (1887). *The Condition of the Working Class in England*. Marx/Engels Internet Archive.  
<https://www.marxists.org/archive/marx/works/1845/condition-working-class/>

Engels, Friedrich (1887). *The Condition of the Working Class in England*. Forma audibilis Anglice.  
[https://archive.org/details/conditionoftheworkingclassinengland\\_1301\\_librivox](https://archive.org/details/conditionoftheworkingclassinengland_1301_librivox)

Goodfellow, Tim & Taylor, Wendy (2009). *Urban Poverty and Vulnerability in Kenya – Background analysis for the preparation of an Oxfam GB Urban Programme focused on Nairobi*. Oxfam GB.

[http://www.irinnews.org/pdf/urban\\_poverty\\_and\\_vulnerability\\_in\\_kenya.pdf](http://www.irinnews.org/pdf/urban_poverty_and_vulnerability_in_kenya.pdf)

Pekkanen, Tuomo & Pitkäranta, Reijo (2006). *Nykylatinan sanakirja: suomi-latina-suomi – Lexicon hodiernæ Latinitatis Finno-Latino-Finnicum*,

Suomalaisen kirjallisuuden seura, Helsinki.  
 Sarnquist, Clea et al. (2014). «Rape Prevention Through Empowerment of Adolescent Girls» in *Pediatrics – Official Journal of American Academy of Pediatrics*. American Academy of Pediatrics.  
<http://pediatrics.aappublications.org/content/early/2014/04/09/peds.2013-3414>.

Tacoma, Laurens E. (2011). «Migrant Quarters at Rome?», *Integration in Rome and in the Roman World – Proceedings of the Tenth Workshop of the International Network Impact of Empire*, (June 23-25, Lille 2011) editoribus Gerda de Kleijn and Stéphane Benoist, pp. 127-146.



*Sbiko fecit imaginem banc puerorum in cavædio*



*Ololuæ vir exacuit cultrum birota acuendi*

# TROIÆ HALOSIS SIVE HEROES NOVISSIMI

– scripsit Marcus Cristini –

*Troia virum et virtutum omnium acerba cinis.  
(Catulli Carmen LXVIII, 90)*

**D**ie quodam heroum illustrium delectus grex ad Olympum convenit, ut viri, quorum fama iam latum mundum iterum iterumque compleverat, et mulieres, quarum res gestas poetæ et mythographi sæpe cecinerant, facinora nova inusitataque perficerent. Omnes enumerare longum est, sufficiat dicere tunc in imo Olympo Ulixem, Achillem, Aiace Telamonium, Æneam, Hectorem, Capaneum, Penthesileam, Camillam, Polyxenam atque Cassandram adesse. Cum laboribus ingentibus dictuque mirabilibus peractis acerrimas pugnas pro orbis universi salute aliis tradidissent, quisque heros, negotio aliquo suscepto, vitam modestam agebat. Multi in urbe Mythopolitana vivebant et de aliorum aliarumve casibus, fortunis gaudiisque, ut sæpe accidit in civitatibus non amplis, pæne cuncta cognoscebant, sed nonnulli procul habitabant et comites heroes per annos multos numquam viserant. Qua de causa lætitia omnes afficiebantur et libentissimè invicem loquebantur.

Camilla et Penthesilea, quæ Achilli nupserat, societatem armis fabricandis in loco remoto condiderant atque manuballistulas, pyroballistas, pyrobola, sclopetata tormenta ignivoma mira arte fingeant. Achilles contra scriptor narrationum in occidentalibus partibus Civitatum Fœderatarum Americæ gestarum factus erat, sed labentibus annis caligo quædam mentem eius tam offuderat, ut aliquando, ipsius oblitus, putaret se armentarium Americanum esse. Itaque solebat ambulare cum manuballistulis duobus in cingulo et amplum capitium calceosque induere. Capaneus, cum illum tali amictu vestitum vidisset, ei dixit: «Achilles, quomodo te habes? Num pecudis custos factus es?» «Amice, tempora nostra periculosa sunt, Teucro ubique insidiantur, semper vigilandum est. Manuballistulæ meæ amicæ fidæ sunt in rebus incertis.» «Capanee, noli Achilli aures præbere – inquit Penthesilea – his diebus de Teucrorum insidiis sine intermissione blaterat. Marite, nonne felix es? Amici hic adsunt, quos longos per annos nec audiveramus nec videramus.» «Teucros nec audire nec videre mihi iucundissimum erat» respondit Pelides.

Interea sermones multi circum fiebant. «Ulixes, quomodo te habes?» «Heroice, magis quam heroice! Et tu, Hector?» «Valeo.» «Aiax, non memorabam te tam pinguem esse.» «Nec ego te tam senem, Camilla.» «Cassandra, hodie mihi læta videris.» «Ænea, perspicillis indiges. Hodie mæsta sum, res nostræ nullo modo succedent.»

Heroes inter se hilares colloquebantur, cum adveniret vir media statura, oculis nigris, capillis crispis, facie arguta, veloci gradu. «Ecce histriones mei» voce tonanti dixit. Statim Achilles iratus respondit: «Nullus scurra umquam me histrionem appellavit et dein vixit, ut aliis id narraret.» Manus ad manuballistulas tetendit, sed Penthesilea vultu minaci impedivit, quominus maritus aliquid temerarium faceret. «Orpheu, celerrime huc pervenisti!» inquit Capaneus. «Credebamus te adhuc in aeroportu esse.» «Minime, aeroplanum ante horam statutam ad terram descendit.» Paulisper siluit heroes circumspiciens, dein loqui perrexit. «Gaudeo, quod vos omnes adestis. Consilium optimum cepistis, credite mihi, mox omnibus in regionibus mundi noti fietis.» «Iam sumus» mussavit Æneas. «Et præterea divites» addidit Orpheus. «Divites numquam fuimus» ridens fatus est Ulixes. «Hæc res nova erit.»

«Amici!» dixit Orpheus. «Puto vos cognovisse quid inter me et Iovem pactum esset, sed inutile fortasse haud est me illud iterum nuntiare. Olympum mense integro conduxim ad pelliculam meam cinematographicam, quæ *Troiæ Halosis* inscribitur, hic agendam. Cum artificibus scænicis egerem et aliquid mirandum cuperem, ut spectatores stupere necnon ceteri cinematographici moderatores invidia tabescerent, decrevi heroes ipsos actores pelliculæ meæ fieri. Vobis faventibus quod usque ad diem hodiernum solum somnium omnium spectaculorum moderatorum erat, id vero accidit: auctores et actores rerum iidem erunt!»

Clarissimi viri illustrissimæque mulieres ibi adstantes nimis commoti haud videbantur, itaque Orpheus, ex Olympo cinematographico ad terram reversus, fari perrexit: «Mea quidem sententia crebro pelliculæ hodiernæ infimæ visu, stultæ auditu vel asperæ intellectu sunt. Ego, contra, narrationem scripsi, quæ mythum antiquum pulcherrimumque societati modernæ aptum reddit, miscens summa cum peritia veterem et novam sapientiam scænicam. Qua de causa nonnullas differentias invenietis inter verba Homeri Vergiliivæ et verba pelliculæ.»

«Quæ differentia?» interrogavit Æneas diffidens. «Exempli gratia tu, Ænea carissime, in narratione mea heros et bonus et malus eodem tempore eris, rationem quam spectatores hodierni magnopere amant, fortasse quia postremo intellexerunt se numquam pares heroibus antiquis fieri posse, itaque viros medios, qui dicuntur, ad sidera tollere solent. Sed redeo ad propositum. Tu, Ænea, eris Troiæ proditor, vir dubiis plenus

qui, ut patria servetur, eam Danais tradet. Nam secutus sum miram historiam Daretis Phrygii, qui, inter alia, dicit: ‘Antenor et Æneas noctu ad portam præsto fuerunt, Neoptolemum susceperunt, exercitui portam reseraverunt, lumen ostenderunt...’»

«Nefas!» exclamavit heros. «Narratio Daretis Phrygii falsissima atque mendacissima est, scripta ab inlitterato, subdolo et noxio fraudatore, ex omnium scelerum colluvione nato, qui Latinam linguam pessime callebat et lutulentis iniuriis memoriam claram heroum foedare conatus est. Utinam liber eius execrabilis ad ævum modernum numquam pervenisset!» «At pervenit et multa narrat, quæ ne phantasia quidem moderatoris cinematographici finxerit. Præterea, ut iam dixi, Æneas Vergilianus hodie importunus videtur, cum nimis iustus, nimis pius sit. Heros Daretis, contra, gratus est hominibus huius ætatis.» Æneas vehementer dissensit, sed Orphei opinio immota mansit.

«Insuper in poematis Homericis Vergilianisque pauca mulieres in scenam ingrediuntur et qua de causa feminismi faurices libros illos iniucundos esse putant. Igitur in pellicula mea Camilla Polyxenaque una cum Achivis et Penthesilea Cassandraque cum Teucris pugnabunt.» «Quid?» respondit Camilla. «Ego Troiæ numquam fui, herois Italica sum.» Orpheus subrisit. «Hoc mea minime interest, spectatores spectatricesque mythos antiquos plane ignorant.»

«Sed Polyxena Græca non est, id omnibus patet.» «Verum, sed in pellicula mea illa, amore Achillis capta, lares patrios relinquet et cum Danais contra Teucros pugnabit.» «Proditioni faves libenter, scurra» inquit torvus Achilles. «Heros die nocteque fidelis hodie tædium affert.» «O tempora! O mores!» clamavit Cassandra. «Res peiores usque fiunt. Sed dic mihi, Orpheu, cur dixisti me cum Teucris pugnaturam esse? Ego vates sum, non bellatrix ut Penthesilea, quæ insuper ante Troiæ oppugnationem mortua est.» «Domina, spectatores veritatem philologicam non quærunt, solum lusum et facinora clara cupiunt, quæ nos eis dabimus.»

Paulo post ipse addidit: «Quod ad facinora attinet, oblitus sum rei maximi momenti. Pelliculæ nunc illustres fieri non possunt nisi effectibus specialibus (ut plerumque appellantur) plenæ. Igitur pulvere pyrio sine parsimonia utar.» Ulixes risit. «Si pulverem pyrium tempore Troiani belli habuissemus, non post annos decem, sed post dies decem domum revertissemus, cum, Dardanis portis conflagratis, Troianos cunctos glandibus ferreis occidissemus.» «Non de manubalistulis vel de sclopetis loquor, sed solum de pulvere pyrio» respondit Orpheus. «Conflagrationes fragosæ omnibus placent. Præterea dolus de equo ligneo, dicam

quod sentio, puerilis videtur. In pellicula mea Ulixes casu pulverem pyrium creat et illi continuo in mentem venit, quomodo eo uti possit, ut Troia quam primum expugnetur.»

«Gratias tibi ago, Orpheu – inquit Ulixes – quia calliditatem meam famosam conservasti, sed non dubito quin pulveres et conflagrationes inutiles sint, postquam Æneas urbanissime portam nobis aperuerit.» «Rem acu tetigisti! Nam Capaneus et Penthesilea, Æneæ diffisi, dum Ulixes et Ajax cum militibus suis portam prætereunt, aliam portam pulvere pyrio delent. Æneas, conflagratione audita, Achivos fidem servaturos haud esse putat et currit ad Hectorem, ei omnia quæ fecerat narrat et eum obsecrat, ut ipsi, licet patriæ proditori, ignoscat. Posthac uterque contra Danaos acriter pugnat. Achilles illos aspicit dimicantes et, hortatus Myrmidones, equum suum citat ad ambos confodiendos. Æneas iuxta Hectorem dimicare cupit, sed hic imperat, ut ille abeat Andromacham Astyanactemque servaturus.»

Hector e pera togæ suæ sudarium extraxit, quo lacrimas duas tersit. «Narratio hæc valde me commovit» dixit. Dein, momento silentii elapso, perrexit. «Sed si in talibus angustiis essem, Æneam proditorem in pugna manere iuberem et ego domum irem ne familia perdatur.» «Heros modernissimus es, mi Hector» respondit Orpheus. «Spectatores tamen magnopere diligunt heroes qui vitam pro amicis, sociis vel propinquis, sæpe indignis, dant, elocuti sermones tanto absurdiore quanto flebiliore, qui moriendi cupidinem potius quam virtutem sæpe testantur, sed nonnulli fletum plusquam rationem amant.» «Quod æquum est, cum tempora nostra revera lacrimabilia sint» addidit Cassandra.

Statim Æneas fatus est: «Orpheu, hoc modo pellicula tua fortasse claram famam adipiscetur, sed mythos nostros funditus evertet, cum Troiæ illa halosis vulgaris narratio cinematographica fiat, in qua nil veri, nil sancti sit!» «Care Ænea, in libris Vergilianis quoque parum veri, parum sancti est. Præterea verum et sanctum diligere tempore hodierno spectatorum spectatricumque minime interest.» «O terque quaterque beati, quis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis contigit oppetere! Illi saltem amentiam hanc non cognoverunt» heros respondit. Ulixes intellexit nec Orpheum nec Æneam sententiam mutaturum esse, itaque, ut contentio leniretur, dixit: «Achilles, opinionem tuam adhuc non dixisti. Quid de his sentis?» Ille statim respondit: «Solutus Teucer bonus est Teucer mortuus.» Ithacensis voce hilari concludit: «Istis sapientibus verbis auditis, censeo colloquium nostrum peractum esse.»

Insequentibus diebus heroes heroidesque actorum munere modo bene, modo incerte, modo ridicule functi sunt et pellicula pedetemptim formabatur. Æneas sæpe, dialogorum oblitus, versus Vergilianos recitavit et Orpheus pluries eum monuit, ut nil narrationi statutæ adderet. Achilles contra in scænam semel cum manuballistulis suis ingressus est, dicens hoc licere, si moderator pulvere pyrio sine cunctatione uteretur. His omissis res bene se habebant cum, mense ab initio pelliculæ actionis elapso, solum narrationis partes extremæ maiorisque momenti perficiendæ essent.

Orpheus statuerat, ut pugna ultima inter Hectorem et Achillem circum Minervæ villam ageretur, quæ, celsis mœniis cincta et ex ædificiis plurimis constans, oppido similis videbatur, itaque illa facile pro Troia a spectatoribus haberi poterat. Simul Æneas cum eius familia, Andromacha et Astyanacte per Minervæ viridarium usque ad portam illius meridionalem fugere iussus est, ubi, heroicam mortem Hectoris miratus, verba memorabilia eloqui debebat. At prius Capaneo et Penthesileæ, aliam actionem scænicam perficientibus, porta veteris dirutique Saturnii palatii pulvere pyrio divellenda erat, ut insignis conflagratio, quæ necessaria est omnibus in pelliculis modernis, fieret et fumus pone Troiam (id est pone Minervæ villam) aspici posset. Saltem tale erat Orphei consilium, sed Parcæ, quas nemo invitaverat, ut pelliculæ actionem viderent, aliter statuerunt...

Primo mane, cum omnia parata essent, cælum repente nubes atræ obscuraverunt et profuse pluit. Actores et moderator valde ob moram inexpectatam irati sunt, cum vestimenta omnes iam induissent et scopocamerarum operatores instrumenta eorum prope actionis situs posuissent. Horæ labebantur et pluvia haud cessabat. Trepidatio magis magisque crescebat, silentium susurri secuti sunt, dein verba acra, dein clamores. Heroes, qui sermones tempore meridiano bene callebant, oblivione laborare cœperunt. Postremo, paulo ante occasum solis, nubes abierunt.

«Ecce, venit summa hora!» fatus est Orpheus. «Confestim, pergitte cuncti ad loca constituta! Penthesilea, cura portam conflagrandam! Ænea, cito, abi in Minervæ viridarium. Achilles, continuo in equum ascende! Dies maximi laboris, dies gloriæ advenit! Ruit tamen hora, currendum est!» Turba actorum et scopocamerarum operatorum festinavit. Minima interposita mora omnia iterum parata sunt. Orpheus signum agendi dedit et scopocameræ res miras illo die gestas æternitati tradere incohaverunt. Achilles Myrmidones suos, gregem iuvenum imbellium, qui pæne gladium et pilum destringere poterant, paulisper

hortatus est. «Myrmidones, hodie nos iniurias, rupta fœdera, perfidiam ulciscemur! Teucrici, qui ab origine mundi insidias Danais tetenderunt, profligati fugatique sunt.»

Sermo statutus differens erat, sed Orpheus actionem non interruptit, cupiens heroem reliqua bene gesurum esse. Interea Ulixes et Ajax pervenerant dicentes conflagrationem ob pluviam morandam esse. Moderator adnuit. «Ecce Hector, Troianorum pessimus, heres turpis stirpis, sceleratæ urbis, immitis regni. Confodiamus eum!» Citato equo e lorica sua manuballistulas duas traxit clamans: «Memores Alami estote!» Hector, cum primum glandes ferreas (veras) sibilantes audiret, salutem fuga quam citissime petivit. Orpheus furens inquit: «Scelestes! Actionem perdidisti! Quid putas? Hæc non est Americanorum pecudis custodum pellicula!» Dum hæc loquebatur cursim ad Achillis equum se contulit, qui, ululatibus Orphei territus et ob terram aqua madidam gressu incerto, cecidit et heros in lutulentam lacunam delapsus est. Surrexit iracundus. «Scurra perfide, socius occultus Teucrorum es! Sed hodie me non occidam, ipse te necabo!»

Hoc dicto manuballistulis usus est, sed ob lutum inutiles erant. Armis abiectis gladium e vagina eduxit saliens adversum Orpheum, qui, more Hectoris, salutem fuga celerrime petivit magna voce clamans: «Succurrite mihi! Insanus est!» Circum villæ mœnia cucurrit, sed Achilles a tergo raptim secutus est eum.

Ajax et Ulixes rem ridentes aspiciebant. «Mea opinione – inquit Ithacensis – Orpheus effugiet.» «Minime, Achilles citior est illo, mox eum capiet.» «Ajax, pignus pono cum te de moderatoris victoria. Si ille post circuitus tres circum Minervæ villam effugerit, mihi denarios Mythopolitanos centum dabis.» «Sit! Ac si Orpheus ante circuitus tres perfectos in Achillis dicionem redactus erit, mihi denarios centum dabis.» «Pactum accipio.» Dum heroes hæc dicebant, circuitus primus impletus erat. «Abi ad plures, scurra perfide!» «Amens est! Capite eum! Vincite eum!» «Orpheus fessus mihi videtur» inquit Ajax. «Puto pecuniam tuam mox ad me transituram esse.» «Amice, noli properare, captus non est. Insuper Achillis iuventus abiit. Nonne vides, quomodo anhelet?»

Circuitus secundus impletus erat et spatium inter fugientem et insequentem pedetemptim minuebatur. «Amice, in viridarii colle aspicio Æneam. Num adhuc recitat?» «Certe. Nescit quid hic acciderit et præterea hæc pellicula mythi sui principium narrat. Ille gaudet, quod multos post annos illum fama super æthera notus fieri potest. Puto eum, quidquid evenit, actionem non interrupturum esse.» Circuitus tertius pæne



*Franz von Matsch (1861-1942), Achilles triumphans (Corcyrae in Achilleio - Wikipedia)*

impletus erat, cum Orpheus in saxum incidit ceciditque. Ulixes palluit, Ajax subrisit. Pelides exultans dixit: «Miserrime, nunc te teneo. Poenam meritam lues!» Transfixurus erat eum gladio, cum fenestra turris altæ, quæ super muris prominebat, aperta est. «Quid accidit? Quid clamores tam horroni?» Erat Minerva.

«Deus ex machina» susurravit torvus Ajax. «Revera est dea ex fenestra» respondit Ulixes hilaris. Achilles paulisper cunctatus est, dein se apud deam excusare cœpit. «Minerva, proditorem hunc nequissimum secutus sum quia...» «Hoc minime mea interest! Iuppiter mihi dixit actionem cinematographicam vestram apud portam meridionalem fieri, non sub fenestris bibliothecæ meæ. Scribo doctissimam philologicam symbolam et tranquillitate indigeo!»

Orpheus, dum Achilles cum dea loquebatur, silens subrepsit ad dumos, qui haud procul crescebant. Hos adeptus, celeri gradu retro effugit. Cum Achilles id sentiret, clamavit: «Perfide, ubi lates?» Eum aspexit insecutusque est usque ad portam meridionalem. Dum hæc agebantur Æneas, ignarus omnibus, sermones statutos plus minusque fideliter recitaverat et, familia, Andromacha Astyanactequae comitantibus, limen Troiæ (id est limen Minervæ ædium) præterivit gravi voce dicens: «Una salus victis nullam sperare salutem!» Hoc ipso momento multa simul acciderunt. Miser Orpheus ingressus est viridarium clamans: «Furens est, furens et insanus!» «Siste fugam tuam, scurra, mecum pugna viriliter!» respondit Achilles, qui tamen in Æneam incidit corruitque. Interea Penthesilea, laboriosos post conatus, pulverem pyrium incenderat et portæ terribili fragore conflagraverunt, fumum acrem in occiduum cælum pendentes.

Hoc modo actio pelliculæ, quæ *Troiæ Halosis* inscribatur, finita est. Omnia quæ hebdomadis insequentibus facta et dicta sunt enumerare longum est, sed summatim aliquid referre haud inutile videtur.

Orpheus reliquit valde iratus Olympum, iurans se cum illo grege mente alienatorum numquam iterum conventurum esse.

Achilles ad Penthesileam rediit mæstus, cum fautor Teucrorum pessimus Orpheus e manibus eius effugisset.

Ulixes et Ajax longe discordia laboraverunt. Nam uterque argumentis variis confirmavit se sponsionis præmium meruisse. Postremo concilium heroum decre-

vit neutrum vicisse, cum Orpheus ante tertium circuitum perfectum effugisset, ut dixerat Ulixes, sed prius in dicionem Achillis redactum esset, ut autumaverat Ajax. Hic, ut mærorem ob perditum præmium superaret, dicitur gregem ovium integrum voravisse.

Æneas, qui recitandi voluptate gavisus erat, paulisper cogitavit de pellicula agenda, ut vera Troiæ halosis a modernis hominibus cognosceretur, sed postea res in irritum cecidit.

Minerva attentissimas post cogitationes symbolam doctam et laboriosam publici iuris fecit, qua quæstionem de Iliadis necnon Odusiæ auctore tam feliciter solvit, ut Ulixes ipse, scripto deæ lecto, confideret certum iam haud esse Homerum olim vero vixisse. Achilles interrogatus respondit symbolam Teucrorum et Orphei eorum fautoris perfidissimi dolum fuisse et ultionem perniciosam vovit.

Hic narrationis finis esset, nisi heroes cuncti (præter Achillem) et dii omnes (præter Plutonem), paucis elapsis mensibus, chartulam purpuream aureis argenteisque litteris scriptam accepissent, qua Orpheus eos ad Acrifolia invitavit, ut pelliculæ primam cinematographicam projectionem spectarent. Dii, deæ, heroes et heroides magna cum trepidatione eo, Orphei impensa, volaverunt et in cinematographeum convenerunt. Universi curiosi erant, itaque cum primum luces extinguerentur statim siluerunt.

Album repente illuminatum est. Videbatur homo per urbem arboribus celsis plenam ambulans. Erat Æneas et illum Andromacha, Astyanax, Anchises, Creusa et Ascanius comitabantur. Mærens dixit: «Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniæ. Fuius Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum; ferus omnia Iuppiter Argos transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.» Simul audiebantur voces remotæ. «Abi ad plures, scurra perfide!» «Amens est! Capite eum! Vincite eum!» Dein imago mutata est, apparuit Achilles equum citans, glandes ferreas manuballistulis eiciens et «Memores Alami estote!» clamans. Album obscurum factum est, dein imagines Orphei Achillisque visæ sunt. «Furens est, furens et insanus!» «Siste fugam tuam, scurra, mecum pugna viriliter!» Repente comparuit Æneas, qui, confusionis inscius, graviter dixit: «Una salus victis nullam sperare salutem!» Album iterum obscurum factum est, postea conflagratio immanis fulsit, quam secuta est pelliculæ inscriptio, in cælo fumo pleno exarata, occidente sole: TROIÆ HALOSIS sive HEROES NOVISSIMI. ☪

## QVÆDAM MYTHISTORIA GRÆCA IN SICILIA (I)

– scripsit Fabius Martines –

## INFERNA PACTIO

Cum anno 241 a.C.n. Torquato Attico consule Gaius Lutatius Catulus victoriam reportaret ex copiis Carthaginiensibus in prælio navali apud insulas Ægates, Sicilia in Romanæ provinciæ formam redigi cœpta est, etsi in potestatem funditus esset redacta ab anno 201 post felicem Scipionis expeditionis exitum et pugnam ad Zamam. Gradatim unaquæque Σικελῆ πόλις, quæ in Romanam deditionem veniebat, suas leges repudiare cogebatur etiam si quis nonnullis beneficiis frui poterat.

Ut semel Sicilia capta est, tamen ad quandam congruentem administrationem istius provinciæ, primæ præter ceteras, opus erat ad congeriem variarum gentium sæpe hostilium accedere et varios mores intellegere, etiam si Roma non semper ad eos assumendos et ad tolerantiam propensa esset. Subacta Sicilia regebatur a quodam proprætore loci, prætore vel senatore, cui quovis modo obœdire ex præceptis iuris Romani necesse erat etiamque normis impositis statu civitatis incolarum.



Vocabulum *provincia*, in Romana re publica receptum posteriore dimidia parte sæculi tertii a.C.n., tributum est finibus a quodam duce captis atque administratis ex lege *Redactio in formam provinciæ*, edicta pro legitima potestate ei delegata.

Primum terræ subactæ obstrictæ erant præcipue ad vectigalia ærario pendenda. Civitates sic exinaniebantur. Tamen subiectorum condiciones variores erant præsertim si finium propagatio obsequenter facta erat.

Deinde provinciæ administratæ sunt a magistratibus ad hoc creatis (prætoribus aut consulibus) qui mandati prorogationem assequi poterant (proprætore et proconsules), sed etiam adiuvari in administratione militari civilique ab aliis rectoribus (quæstoribus et cohorte prætoria).

Civitate accepta oppida ad imperium populi Romani fœdere adiuncta appellabantur municipia et a duplicibus dissimilibusque paribus magistratuum loci regebantur, qui eligi poterant (quattuorviri), i.e.: duoviri iure dicundo, vel iuris procuratores et duoviri ædilicia potestate, in morum præfectura constituti. Primi maiores quam alteri habebantur et eorum partes comparabiles erant cum primæ rei publicæ consulum potestatibus, etiam si sub præfecti loci senatusque vigilantia.

*Prima Ceres unco glæbam dimovit aratro,  
prima dedit fruges alimenta que mitia terris,  
prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.*  
(Ovidius, *Metamorphoses* V, 341-343)

Italorum provinciarum πόλεις, quæ rationem cum Roma habebant, in varium civitatum numerum adscribi poterant pro animo plus minusve infesto in præliis.

Universi cives, ut homines ex iusto iure et officii præstandis, *civitatem* efficiebant et in Romano iure presse discerniebantur quattuor genera civitatis: *civitas libera*, immuni tributo sed copias et naves allatura si bellum gereretur; *civitas stipendiaria* et *civitas decumana*, coactæ ad quoddam tributum solvendum; *civitas fœderata*, socia fœdere obligata; *civitas censoria*, pertinet ad Italicas colonias.

Cives Romanus *optimo iure* erat, civitas autem *imminuito iure* aut *sine suffragio* erat.

Coloniis constitutis et statu municipali concessio magis magisque terræ gentesque subactæ ad Romanos mores se conformabant. Romani prædia quoque et vectigalium exactionem modulabantur congruenter dissensionibus in occupatione bellica offensis. Pars agri adiungebatur velut ager publicus populi Romani et eius usus locabatur publicanorum societatibus, quibus posterius etiam tributorum perceptio redempta est.

Qui provinciæ præerat cum imperio *præfectus* erat non solum ad rem publicam et ad ærarium administrandum sed etiam ad ius dicendum, et pœnale et civile. Maxima potestas iudicandi ei erat et iudicare poterat sine provocatione. Sic præfectus Siciliæ domicilium habebat Syracusis in arce tyranni Hieronis et provinciæ copiis præerat. In rei publicæ institutis Siciliæ impositis oppida Centuripe, Halæsa, Segesta, Alycie, Panormus erant *civitates sine fœdere immunes ac liberæ*, cum Henna *civitas decumana* esset.



Postquam Romana administratio Siculam provinciam instituit, insula hanc sortem servavit usque ad novum ordinem divi Augusti, qui eam iam in gratiam reconciliatam ad provinciam senatorialem promovit et Siculos decrevit iure Latino esse. Circiter sæculi finem duoviri M. Cestius et L. Munatius, profecto *duoviri iure dicundo*, civitatis administrationi præsidebant ut nomina propria in quodam nummo illius ætatis signata demonstrant. Moneta enim Hennensis etiam tum in usu erat.

Inter 40<sup>um</sup> et 36<sup>um</sup> annum hoc æs, quod Græcorum propriam refert iconographiam, signatum est et effingit



*Hennensis hemilitra*

ab hac parte Cererem velato capite spicifero, ab illa parte Plutonem qui raptam Proserpinam amplectens quadrigis vehitur in Avernum.

In hac hemilitra inscriptum est: MUN. HENNÆ, quod oppidum erat municipium; in cuncta Romana republica in usu valebat. Sed unus ex postremis nummis signatis fuit apud monetam Hennensem, quæ quinque sæcula libertate prosperitateque ceu Syracusa et Agrigentum gloriari poterat. Mythica commemoratio hæc, a duoviris recuperata, cohærebat cum Romano more omnium deorum cultus benigne accipiendi usque adeo ut alienæ fabulæ adsumerentur, dummodo congruerent cum cultu proprie Romano.

Hic nummus insignior est et alienissimo rei publicæ tempore signatus: præcipue magni momenti vicissitudines fuerunt Iulii Cæsaris cædes anno 44 et eius interfectorum insectatio, postea Sexti Pompei fuga et anno 42 confugium in Siciliam, ubi quandam novam classem instruere potuit ut belli gerendi rationi ab altero triumphu in ita adversaretur. Anno 36 denique ab Agrippa profligatus est apud Mylarum Naulochum.

In hoc conexu Hennensis nummus ostendit plenam divinarum imaginum æqualitatem cum eis a theologico mundo Græco traditis: dea Ceres et filia Proserpina et Pluto iidem erant qui a Græcis appellabantur Demeter, Persephone et Hades.

Ceres, dea agrorum cultus, fertilitati terræ præsidebat et sanctitati nuptiarum et legibus sacris et vitæ mortisque cyclo. Proserpina, a Romanis venerata, dea inferna et domina in Averno erat etiam suaviter appellata puellula (Κόρη) et tritici semen effingebat. Deinde Pluto erat Hades, deus infernus, qui manes post mortem accipiebat.

Coloniis in Siciliam a Græcis constitutis mythistoria usque ad interiorem insulæ regionem illata est, ut testatur divina narratiuncula relata cum in antiqua vasorum iconographia tum in litteris etiamque penitus hærens in animis Romanorum, propensiorum ad ubertatem illarum terrarum celebrandam quæ præcipue frumentum Romæ suppeditabant. Sicilia enim melius horreum erga Romam erat saltem quoad Africa septentrionalis in locum successit.

Cereris Proserpinæque cultus decretus est forsitan post quandam pestilentiam aut Varrone ac Livio auctoribus cum anno 249 iubentibus Libris Sibyllinis responsum datum est postquam apud Tarentum aliquid novi accidit.

Verisimile est quinto sæculo a.C.n. Tarentum fuisse sacrum locum Persephones, cuius veneratio postea ab Apulia transiit Romam, ubi circiter tertium sæculum facile inclusa est in religionem Romanam, quæ multos deos colebat, in unum cum indigena dea Libera confluens. Una cum Persephone-Kore-Proserpina, Ceres quoque in Pantheo Latino ferventer accepta est.

Sic fabulosa vicissitudo reviviscebatur in nummo Hennensi expressa.

Græca dea inferna Persephone et indignabunda mater Demeter magna cum veneratione adorabantur etiam plurimis locis ubi præsertim dicebatur tyrannus Hades necopinato rapuisse divinam puellulam: i.e. Eleusini, Hermione, Cnossi etiamque deinde Sicanæ Hennæ apud lacum Pergum.

Sicut est in Græcis fabulis Demeter, Kronou et Rheæ filia, est imago «Terra-Mater» (ab origine fortasse Indo-Europæa *dbeghom mather*), omnium nutrix et eodem tempore messis dea, quæ una cum fratre Iove pulcherrimam deam Persephonen genuit. Persephone ergo erat nepticula Hadis regis inferorum qui eam rapuit. In altera fabula Persephone filia est nymphæ infernæ Stygis.

Interea Ovidius melius refert Græcam fabulam qua deus Hades, postquam e tenebrosa sede exiit, in corde percussus est sagitta Cupidinis, a matre sua Venere iussi. Eodem tempore in quodam prato apud lacum Pergum Persephone una cum nymphis comitantibus in eo erat ut violas aut lilia carperet et Hades errabundus quadrigis atrorum equorum per tres Siciliae angulos, ut inspiceret num eorum futuræ integræ essent, pæne fascino captus insimul eam vidit et dilexit insolenterque rapuit. Territa divina puella matrem et comites vocabat. Cyane, celeberrima inter Sicilienses nymphas, ab aqua emergens deam agnovit et irritum conatum audacter experta est ut raptorem retineret, qui artius obsidem complectens quadrigis in infernum suum regnum per medium craterem vexit. Illi nymphæ nihil aliud restabat nisi ut Plutoni nuberet et eius regina fieret. Cyane violato suo fonte mærens liquefacta est et in eadem aqua evanuit. ☞

*(continuabitur)*

## SENEX AD PONTEM

– auctore Ernesto Hemingway, interpretibus Ylermi Luttinen, Maija-Leena Kallela, Teiva Oksala –

ERNEST HEMINGWAY (21.7.1899 - 2.7.1961), scriptor et diurnarius Americanus. Unus erat ex scriptoribus illustrissimis sæculi vicesimi in Civitatibus Unitæ Americæ. Complura romancia novellasque collectas divulgavit: decenniis 1920-1950 septem romancia et sex novellarum collectiones eius e prelo exierunt; præterea post mortem eius tria romancia et quattuor novellarum collectiones sunt editæ. Inter opera eius excellunt *The Sun also Rises* (Sol etiam oritur), *For Whom the Bell Tolls* (Cui campana sonat), *A Farewell to Arms* (Valedictio armis), *The Old Man and the Sea* (Senex et mare). Hoc opus anno 1954 editum ante omnia effecit, ut Heminway anno 1954 præmio Nobeliano afficeretur. Genus eius dicendi simplex et inornatum apud scriptores vicesimi sæculi magni æstimabatur.

Heminway etiam vita sua tumultuosa periculisque plena notus erat. Varia itinera, potationes, pugnae, et tota quidem imago eius publica non solum contemporaneos eius sed futuras quoque generationes delectaverunt. Bello mundano primo exeunte ille adhuc iuvenili ætate domum reliquit, ut in Europam transiret. Ibi vector currus ambulatorii pedibus graviter vulneratus est. Per longum tempus in Europa manebat et usque ad finem belli mundani secundi officii diurnarii et legati epistularii rerum militarium est functus. Etiam in bello Hispaniæ civili legatus epistularius erat rerum militarium. Hoc ipsum bellum scænam præbet narrationi infra positæ de sene quodam misero, cui inter horrores belli iam finientis tota vita pristina est derelinquenda. Eadem mæstitia ceteraque signa similia etiam in romancio scriptoris nostri notissimo *The Old Man and the Sea* inveniuntur. Hemingway ipse in Africa venabatur ac in ora Cubæ piscabatur, ubi etiam domum habuit ubique casus fabulæ de piscatore illo vetusto deposuit. Finis vitæ eius tragicus fuit: duos et sexaginta annos natus, viribus et corporis et animi iam defectus, mortem sibi conscivit.

SENEX AD PONTEM<sup>1</sup>

Senex vitra ocularia formis adamantinis prædita gerens et vestibus pulverulentis indutus in margine viæ sedebat. Trans flumen pons erat e pontonibus factus, quem carra, autocarra, viri, feminæ liberique transibant. Carra mulis tracta labanter per ripam fluminis declivem e ponte sursum versus petebant, dum milites adiuvantes radios rotarum impellebant. Autocarra huc illuc vehebantur ista omnia relinquere contententia et rustici in pulvere talos attingente laboriose progrediebantur. Senex autem immotus loco suo sedebat. Nimis erat fessus, quam ut iter longius continuaret.

Mihi destinatum erat pontem transire atque pontis partem extremam explorare et quidem resciscere, quem ad locum hostis progressus esset. Quibus rebus factis rursus ad alteram partem pontis redii. Haud multa ibi erant carra et perpauci homines pedibus euntes; senex autem adhuc ibi erat.

«Unde venis?» eum rogavi.

«Sancto Carolo», dixit ille subridens.

Oppidum eius erat natale; itaque ei multum placebat illud nomen indicare, itaque et subridebat.

«Animalia curavi», senex explanavit. «Ah», dixi, non id omne intellegens.

«Ita vero», ille dixit, «ibi remanebam, ut animalia curarem. Ultimus oppidum Sanctum Carolum reliqui.»

Ille nec pastor ovium nec armentarius mihi videbatur esse; et vestes eius nigras pulvere oppletas et faciem eius pulvere canam et vitra eius ocularia formis adamantinis prædita inspiciens dixi: «Quæ erant animalia?»

«Animalia varia», dixit et caput concussit. «Ea mihi derelinquenda fuerunt.»

Pontem necnon loca illa rustica Deltæ Hiberi<sup>2</sup> Africae similia spectabam mecum considerans, quanto temporis spatio hostem visuri essemus, animumque identidem attendens ad illos primos strepitus, signa de eventu illo semper mystico, qui contactus esse dicitur. Senex tunc quoque ibi sedebat.

«Quæ animalia erant?» interrogavi.

«Tria omnino erant animalia,» ille explanavit.

«Duæ capræ et una feles ac præterea quattuor paria columbarum.»

«Et illa omnia tibi erant relinquenda?» interrogavi.

«Ita vero. Propter artilleriam. Capitaneus mihi imperavit, ut propter artilleriam abirem.»

«Et familiam non habes?» interrogavi extremam partem pontis conspiciens, ubi pauca ultima carra per ripam fluminis declivem festinanter descendebant.

«Non habeo,» inquit, «nonnisi animalia illa, quorum feci mentionem. Feles sine dubio vivet. Feles cave-re scit, sed fingere non possum, quid illis aliis sit eventurum.»

«Quam opinionem politicam habes?» ego eum interrogavi.

«Nullam habeo,» ille respondit. «Sex et septuaginta annos natus sum. Iter duodecim chiliometrorum iam feci et, ut puto, longius procedere non iam valeo.»

«Hic non est locus consistendo aptus» dixi. «Si satis virium habes, in via autocarra sunt eo loco, ubi via ad Tortosam divertitur.»

«Paulum temporis hic manebo,» ille dixit, «deinde abibo. Quo vehuntur illa autocarra?»



«Barcinonem versus,» dixi.

«Neminem in ea parte cognovi,» inquit, «sed magnas gratias tibi ago. Gratias quam maximas iterum tibi ago.»

Oculis languidis tristibusque me intuebatur, deinde, cum aliquem curæ suæ participem facere vellet, dixit: «Feles vivet, id pro certo scio. De fele non est necesse sollicitari. At illa alia. Quidnam de illis aliis sentis?»

«Illa sane bene evasura esse puto.» «Ita sentis?»

«Cur non ita sentirem?» dixi, extremam partem ripæ fluminis inspiciens, ubi nulla iam carra erant.

«At quid facient illa sub igne artillerio, cum ego propter artilleriam abire iussus sim?»

«Columbarium non clausisti?» interrogavi. «Certe non.»

«Si ita est, evolabunt.»

«Ita vero, certe evolabunt. At illa alia. Optimum sit factu de illis aliis non cogitare,» ille dixit.

«Si iam satis quievisti, abire velim,» ei suadebam.

«Fac surgas et ambulare conare.»

«Gratias tibi,» ille dixit et surrexit, sed cum utroque titubaret, rursus in pulverem assedit.

«Animalia curavi,» ille tarde dixit, non autem longius mihi. «Animalia curavi.»

Nihil de eo facere potui. Dies Dominicus erat paschalis et fascistæ ad Hiberum flumen progrediebantur. Ille dies canus erat et cælum nubibus demissis tectum; itaque aeroplana eorum non erant in aere. Qua in re itemque in re illa vera, quod feles se ipsas curare possunt, omnis consistebat bona fortuna, quam senex ille umquam habiturus erat. ☞

- 
1. Edita primum 19.5.1938 in *Ken Magazine*, denuo in libro *The Fifth Column and the First Forty-Nine Stories* 1938, «Old man at the bridge». Scriptum breve relatio est stationis ad flumen Hiberum in bello civili Hispaniæ anno 1938. Eo tempore Hemingway legatus epistularius belli erat in Hispania.
  2. Hiberus, hodie *Ebro*, flumen longissimus in Hispania, quod in Mare Merditerraneum influit.

Imago: Rauno Luttinen.



## DE NOVIS LIBRIS

*Mantineæ. Commentarii periodici bis in anno prodeuntes*, volumen I, Romæ in ædibus Academiae Vivarii Novi, Instituti Italici philosophiæ studiis provehendis, Pontificii instituti altioris Latinitatis, 2015, 505 p.

Nuntiaverat quidem Aloisius Miraglia se una cum sodalibus suis docta folia periodica condere velle, ac res a multis iam diu expectabatur et desiderabatur; quis autem – quamquam scimus Vivarium Novum numquam res facere parvas – quis præscire potuit tantam fore rem? Quingentas quinque paginas plenas doctrinæ, philosophiæ, litterarum, philologiæ, eruditionis, humanitatis, plenas denique Latinitatis! Laudabilia sunt omnia in hoc volumine: et argumenta tractata, et copia rerum, et sermonis elegantia, necnon lauta editio maximeque singulare ‘Consilium doctorum hominum’.

In hoc primo volumine de variis argumentis scripserunt hi auctores: A. Miraglia (præfatio), M. von

Albrecht, T. Tunberg, C. Carena (Litteræ), E. Morin, I. Hersant, R. Brague, R. Bodei (Philosophia), C. Vasoli (Rerum historia), S. Maggi (Formæ et figuræ), A. Antonioni (Civilia iura), L. Dolidon (Naturalis historia), C. Fiévet, V. Schibel (Ars docendi), S. Di Brazzano, S. Settis (Linguae & philologia), I. Armella, G. Monetti (Levia gravia). Quibus accedunt symbolarum summaria necnon auctorum curricula, normæ editionis indexque nominum.

Nullum ergo dubium, bone lector, quin *Mantineæ* statim subnotare cupias; de qua subnotatione utilia leges hoc loco: <https://vivariumnovum.it/mantineæ>  
ISBN 978-88-95611-79-2

OTFRIED PREUSSLER, *Crabatus*, in Latinum convertit Nikolaus Gross, Senden, Leo Latinus, 2015, 363 p.


Ei vestrum, quibus non notus est Otfridus Preußler (1923-2013) auctor librorum puerilium, fortasse tamen viderunt pelliculam phantasticam *Krabat*, ex opere similiter inscripto confectam, cuius titulus saltem in Francogallicum translatus est sic: *Magorum magister (Le Maître des sorciers)*. Agitur de Crabato puero orbato quattuordecim annos nato qui, tiro factus in aliqua molina, mox intellegit hanc molinam re vera esse scholam magicam... ac variis vicissitudinibus conatur (et denique valebit, bone lector, noli timere) vincere potestates obscuras... Hanc fabulam Nicolaus Groß

in Latinum vertit modo quo agere solet: i.e. docte et scienter.

Opportune etiam additum est glossarium, quo verba Latina et Theodisce et Anglice explicantur.

Discipulis ergo necnon adultis, qui huiusmodi fabulas amant, iucunda est occasio Latine legendi. Et fatemur, etsi hoc nobis non est solitum genus lectionis, nos sorte illius miserabilis orphanani vere captos esse et commotos.

ISBN 978-3-938905-35-3





# *In hoc fasciculo !*

*Institutio publica an educatio nationalis?* [G. Licoppe] p. 1  
*De vestigio Dei* [V. Czapiewski] p. 2  
*De vita pauperum in Kenia* [S. Jansson] p. 3  
*Troiā halosis sive Heroes novissimi* [M. Cristini] p. 8  
*Quaedam mythistoria Græca in Sicilia (I)* [F. Martines] p. 12  
*Senex ad pontem* [E. Hemingway – Y. Luttinen, M.L. Kallela, T. Oksala] p. 14  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti: Persephone et Hades (kylix v sæc.)  
Londinii in Museo Britannico (Wikipedia).*

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*  
30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*  
25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*  
Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina indutæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*  
De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*  
In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt  
De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA